



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XXXVI. Contra vana hominum iudicia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

nones varias, magnasq; defolationes. Sed patienter sustinuerunt se in omnibus, & magis confisi sunt Deo, quàm sibi: scientes, quia non sunt condignæ *Rom. 8.* passiones huius temporis, ad futuram gloriam promerendam. Vis tu statim habere, quod multi post multas lacrymas & magnos labores, vix obtinuerunt? Exspecta Dominum, viriliter *Ps. 26.* age, & confortare: noli diffidere, noli discedere: sed corpus & animam expose constanter, pro gloria Dei. Ego reddam plenissimè: ego tecum ero, in omni tribulatione.

CAP. XXXVI.

Contra vana hominum iudicia.

FILI, iacta cor tuum firmiter in Domino, & humanum ne metuas iudicium, vbi te conscientia pium reddit & insontem. Bonum est & beatum taliter pati, nec hoc erit graue humili cordi, & Deo magis, quàm sibi ipsi confidenti. Multi multa loquuntur, & idè parua fides est adhibenda. Sed & omnibus satis esse, non est possibile. Et si Paulus omnibus studuit *1 Cor. 9.*
in

2 *Cor.* 4 in Domino placere, & omnibus omnia factus est: tamen etiam pro minimo duxit, quòd ab humano die iudicatus fuerit.

1 *Coloss.* 1 Egit satis pro aliorum ædificatione & salute, quantum in se erat & poterat: sed ne ab aliis aliquando iudicaretur, vel non despiceretur, cohibere non potuit. Ideò totum Deo commisit, qui totum nouerat: & patientia ac humilitate, contra ora loquentium iniqua, aut etiam vana ac mendosa cogitantium, atque pro libitu suo quæque iactantium, se defendit. Respondit tamen interdum, ne infirmis, ex sua taciturnitate generaretur scandalum.

3 Quis tu, vt timeas à mortali homine? Hodie est, & cras non compareret. Deum time, & hominum terrores non expauesces. Quid potest aliquis in te verbis, aut iniuriis? Sibi potius nocet, quàm tibi: nec poterit iudicium Dei effugere, quicumque est ille. Tu habe Deum præ oculis, & noli contendere verbis querulosis. Quòd si ad præsens tu vidêris succumbi, & confusionem pati, quam non me-

Act. 26
Phil. 1.

2. *Mac.*
2.

Rom. 2.
Cor. 1.
Cor. 11

meruisti: ne indigneris ex hoc, neque per impatientiam minuas coronam *Heb. 12* tuam: sed ad me potiùs respice in cælum, qui potens sum eripere, ab omni confusione & iniuria, & vnicuique reddere secundùm opera sua.

CAP. XXXVII.

*De pura & integra resignatione sui,
ad obtinendam cordis libertatem.*

FILI, relinque te, & inuenies *Mat. 16* me. Sta sine electione & omni proprietate, & lucraberis semper. Nam & adiicietur tibi amplior gratia, statim vt te resignaueris, nec resumpseris. Domine, quoties me resignabo, & in quibus me relinquam? Semper, & omni hora: sicut in paruo, sic & in magno. Nihil excipio, sed in omnibus te nudatum inueniri volo. Alioquin, quomodo poteris esse meus, & ego tuus: nisi fueris ab omni propria voluntate, intus & foris spoliatus? Quantò celerius hoc agis, tantò melius habebis: & quantò plenius & sincerius, tantò mihi plus placebis, & amplius lucraberis.

2. Qui-